

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Gloria eterna ag
cum fonte primo

In domo Patris mansiones multe sunt.

Si enim dispar retribucio in illa beatitudine eterna non esset,
una pocius mansio quam multe essent.

Multe ergo mansiones sunt,
in quibus et distincti bonorum ordines
propter meritorum consorcium communiter letentur.
Et tamen unum denarium omnes laborantes accipiunt,
qui in multis mansionibus distinguuntur,
quia et una est beatitudo quam illic percipiunt,
et dispar retribucionis qualitas quam per opera diuersa sequuntur.

Gregorius libro IIII. dyalogorum.

Ipsa quippe propter electos in euangelio dicit:

In domo Patris mei mansiones multae sunt (Ioh. 14:2).

Si enim dispar retributio in illa beatitudine aeterna non esset,
una potius mansio quam multae essent.

Multae ergo mansiones sunt,
in quibus et distincte bonorum ordines et
propter meritorum consortium communiter laetantur.
Et tamen unum denarium omnes laborantes accipiunt,
qui in multis mansionibus distinguuntur,
quia et una est beatitudo quam illic percipiunt,
et dispar retributionis qualitas quam per opera diuersa consequuntur.

Gregorius Magnus, *Dialogorum libri IV.*, 4.36.13 (SC 265,
A. de Vogüé ed., pp.122, 124, ll.86-96).